MASTER
NEGATIVE
NO. 93-81528-21

AUTHOR:

KIESSLING, ADOLF GOTTLEIB

TITLE:

ADOLFI KIESSLING CONIECTANEA...

PLACE:

GRYPHISWALDIAE

DATE:

1874

Master Negative #
93-81528-21

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Kiessling, Adolf, 1837-1892.
...Adolfi Kiessling Coniectanea Ammianea. Gryphiswaldiae, typis Frid.Gvil.Kvnike, 1874.
8 p. 29 cm.

At head of title: Index scholarvm in Vniversitate litteraria Gryphiswaldensi...

49244

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 13x
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 8-4-93 INITIALS BE
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management
1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202

Centimeter

Inches

INDEX SCHOLARVM

IN

VNIVERSITATE LITTERARIA GRYPHISWALDENSI

PER SEMESTRE AESTIVVM

ANNI MDCCCLXXIV

A DIE XIII MENSIS APRILIS

HABENDARVM.

INSVNT

ADOLFI KIESSLING CONIECTANEA AMMIANEA

GRYPHISWALDIAE

TYPIS FRID. GVIL. KVNIKE.

MDCCCLXXIV.

VNIVERSITATIS LITTERARIAE GRYPHISWALDENSIS

RECTOR

TH. GVILELMVS AHLWARDT

CVM

CONCILIO ACADEMICO

S. D.

CIVIBVS ACADEMICIS.

Misit ad me nuper C. F. W. Müller schedas criticas Fleckeiseni annalibus philologicis ***(1873 pag. 341 sqq.)*** insertas, quibus Ammiani verba multifariam corrigere studuit. Admirabar sane in plerisque amici docti sagacitatem et ingenii felicitatem; nonnullis tamen in locis emendationem minus ei feliciter cessisse is non mirabitur, qui reputaverit quot quamque foedis maculis scriptoris nobilissimi verba inquinata et turpiter deformata sint. Velut in eis quibus XXX 5, 19 Valentiniani imperatoris describitur immanitas:

> ***dexteram stratoris militis iussit abscidi, quae eum insilientem iumento pulserat consuetu*** (sic Vat.), ***perissetque cruciabiliter innocens iuvenis, ni tribunus stabuli Cerealis dirum nefas cum sui periculo distulisset.***

recte quidem soloecismum removit *pulsarat* restituendo, displicet autem quod quamvis dubitanter proposuit ***conflictu.*** Addidit enim Ammianus id unde innocentia stratoris, qui casu non consilio imperatorem equo insilientem iuvaturus pulsaverat, declaretur. Scribendum itaque est: ***quae eum .... pulsarat*** INCONSVLTO. Atque cum spes sit fore ut mox Ammiani reliquiae ea qua par est cura concinnatae ac perpolitae a Gardthauseno edantur, operae pretium facturus mihi videor, si hac praefandi occasione oblata nonnullarum quae ex repetita scriptoris lectione mihi subnatae sunt coniecturarum hic proponam spicilegium.

XVI 10, 3 haec eduntur: ***ignorant .... diversos denique actibus inclaruisse magnificis ut glorias suas posteritati celebri memoria commendarent.*** In Vaticano vero libro scriptum est ***gloriosas suas posteritatis m***, unde Ammianum scripsisse existimo: ***ut*** GLORIOSA SVA POSTERITATIS ***celebri*** MEMORIAE ***commendarent.*** Cf. XVII 13, 26 ***quid enim tam pulcrum tamque posteritatis memoriae iusta ratione mandandum?***

XVI 12, 34 — ***subito Alamannorum peditum fremitus indignationi mixtus auditus est unanimi conspiratione vociferantium relictis equis secum oportere versari regales, ne si***

quid contigisset adversum, deserta miserabili plebe facilem discedendi copiam repperirent. hocque conperto Chnodomarius iumento ipse statim desiluit et secuti eum residui idem facere nihil morati. Haec tum demum recte et concinne dicta esse videntur, si scribatur *facile* et *fecere.*

Ibidem in paragrapho 53 mirer nisi Ammianus Alamannorum cladem omnibus artis coloribus depingens sic scripsit:

iacebant itaque plurimi transfixi letaliter remedia mortis compendio postulantes, alii semineces labente iam spiritu lucis usuram oculis inquirebant, quorundam capita discissa trabalibus telis et pendentia iugulis cohaerebant, pars <*per*> *lutosum et lubricosum solum in* SAVCIORVM *cruore lapsi intactis ferro corporibus aceruis superruentium obruti necabantur.* Quod in Vaticano legitur *sociorum* et friget et obscurat scriptoris artificium, quo intacta ferro corpora sauciis opponit.

Ibidem in paragrapho 65 hiatus sic fere commode expleri posse videtur: *et ut augeret eventus secundi laetitiam, concilio* — vel potius *contione* — <OMNI> INSPECTANTE *Chnodomarium sibi iussit offerri.* Simili modo Hauptium quoque in indice lectionum Berolinensi qui his ipsis diebus mihi adfertur librorum scripturam *concilio .... mus speciare* emendasse video, nisi quod retinuit *concilio* et scripsit *spectante.* Sed usitatius est *contionis* vocabulum cf. XVII 13, 34 XXI 5, 9.

In paragrapho denique 68 de iis qui Iulianum apud Constantium culpabant eiusque laudes maligne carpebant recte scribere non potuit Ammianus:

Interque exaggerationem inanium laudum ostentationemque [*obtestanetiomque* Vat.] *aperte lucentium inflabant ex usu imperatorem suopte ingenio nimium, quicquid per omnem terrae ambitum agebatur felicibus eius auspiciis adsignantes.*

Nam aperte lucentium mentione vix alia significari possunt nisi Iuliani res gestae, quibus inanes laudes Imperatoris, cui cum bella moverentur externa luctuosa plerumque accidisse paullo ante (XIV 10, 15) dictum est, ab aulae ministris opponuntur. Scribendum itaque est: *interque exaggerationem inanium laudum* OBTRECTATIONEMQVE *aperte lucentium.*

XVII 1, 5 editur: *Quo ita disposito solis primo exortu visis per montium vertices barbaris ad celsiora ducebatur alacrior miles, nulloque invento — hoc si quidem opinati discessere confestim — eminus ingentia fumi volumina visebantur indicantia nostros perruptas populari terras hostiles.* Ineptum est Germanos neminem inventum iri opinatos discessisse confestim, neque *siquidem* coniunctionem apud Ammianum legere me memini. Scribendum videtur: *nulloque invento* HOSTE, QVI INOPINATO *discessere, confestim eminus .... fumi volumina visebantur.*

XIX 2, 3 *Persae omnes murorum ambitus obsidebant.* Quod Vaticanus liber praebet *om̄s murorum om̄s* ita explicandum est, ut librarium vocabulo suo loco repetito vitiosum verborum ordinem corrigere voluisse statuamus. Sequitur ut vox male repetita non posteriore sed priore loco delenda sit, velut XVII 1, 14 pro *magis optabat quam* in Vaticano legitur *magis quā optabat quā* vel XXVI 8, 13 *cui domum cui* pro *domum, cui.* Itaque in eo quoque loco

quem exscripsi *murorum omnes ambitus* reponendum est; cf. XVIII 6, 22 *terrarum omnes ambitus.* Eadem ratio suadet ut XXVI 1, 1 corrigamus: *si — omissum ob quam (quam ob quam* Vat. *quam ob* vulgo) *causam gregarii milites coerciti sunt*, etiamsi XXVII 5, 1 legatur *quam ob causam.* Neque dubito quin XVIII 5, 7 in librorum scriptura *eo maxima eo* nihil aliud lateat nisi *maxime eo.*

XIX 4, 8 Velim doceri quo modo editores ea intellexerint quae vulgo sic eduntur: *Hac exitiali peste quassati, paucis intemperanti (intemperati* Vat. m. pr.) *aestu consumptis, quos multitudo angebat (augebat* Vat.), *tandem nocte quae diem consecuta est decimum exiguis imbribus disiecto concreto spiritu et crassato sospitas retenta est corporum firma.* Neque enim video qui fieri potuerit, ut multitudo angeret paucos illos, quos intemperantia caloris consumpserat. Immo optimi libri scriptura *augebat* retinenda est et sententia ita conformanda, ut hominum multitudo incommoda aestuum auxisse dicatur. Scribo itaque: *paucis* INTEMPERATIS AESTIBVS *consumptis, quos multitudo* AVGEBAT.

XIX 5, 1 *Verum inter haec inquies Persa vimineis civitatem pluteis circumdabat et erigi aggeres coepti.* Cum in optimo libro *uineis* ab altera manu ex *bineis* correctum extet, haec lenius ita corrigi possunt, ut scribamus VINEIS *civitatem* PLVTEISQVE *circumdabat*, velut XX 6, 3 coniuncta leguntur: *plerisque obiectu vinearum pluteorumque tectis.*

XIX 8, 8 editur: *(cento) ... per funem coniectus aquasque hauriens ad peniculi modum facile sitim qua hauriebamur extinxit.* Ex Vaticani libri scriptura *hariebamur* non *hauriebamur* eliciendum erat, sed id quod et ratio postulat et Ammiani consuetudo AREBAMVS; cf. XVIII 7, 9 *arescunt omnia siti perpetua* et reliqua quae in Ernestii glossario congesta sunt exempla.

XIX 9, 1 pergit Ammianus postquam Amidam a Persis obsessam et expugnatam esse fusius narravit sic:

Iam imperator et Persae, quia tendere iam introrsus autumno praecipiti haedorumque improbo sidere exorto prohibebantur, captivos agentes et praedas remeare cogitabant ad sua.

Atque prima verba in Vaticano libro ita exarata sunt: *iam* ^im^ *perator et perse*, unde *imperator* quamvis facili coniectura male effecerunt editores, siquidem hic non de Romanorum imperatore sed de rege Persarum sermo est. Paullo aptius est quod apud Gelenium legit[illegible] *Interea* [illegible]*or et Persae;* verum ex similis corruptelae ratione qua XXIII 5, 16 *perator ig*[illegible] in libris bonis extat, quod *peracto igitur* esse debuit, mihi verisimilius videtur esse Ammianum scripsisse: *Iam* PERACTA RE *Persae .... remeare cogitabant.*

XX 11, 7 Constantius Bezabden obsessurus: *viris prudentibus missis condicione posita dupla cogebat moenium defensores redire ad suos — aut in dicionem venire Romanam.* In his cogendi verbum insulsum esse recte intellexit Mueller, quamquam quod ipse proposuit *monebat* vel *urgebat* probabile non est. Scripsit Ammianus ADIGEBAT, quo verbo saepissime utitur cum infinitivo coniuncto velut XX 4, 14 XXX 5, 8 XXXI 5, 2.

XXI 5, 7 tum demum orationis bipertitae artificium apparebit, si emendationem a Muellero feliciter incohatam ita consummaveris:

at vos ex more fidentium ducum iuramento quaeso concordiam spondete mansuram et FIDAM *(fidem* Vat.), *operam mihi navaturo sedulam et sollicitam, nequid agatur inconsultum et segne.*

Ibidem in paragrapho 11 non intellego quae vulgantur: *solus omnium licet proposito stabili (sgabili* Vat.), *audacter tamen praefectus repugnavit Nebridius, iurisiurandi nexu contra Constantium nequaquam se stringi posse commemorans.* Rationem enim excogitare nequeo, qua audacia propositi stabilitati et pertinaciae recte opponi possit. Intellegerem haec si scripsisset Ammianus: *licet proposito* INSTABILI vel EXITIABILI.

Ibidem in paragrapho 12 recte emendatum est: *Ecquid (et quid* Vat.), *ait, praecipuum amicis servabitur.* Idem vero vitium duobus aliis locis nondum correctum est: XXV 5, 3 *et quid ageretis, ait, si id bellum vobis curandum commisisset absens .... imperator?* et XXVII 7, 9 *et quid agetur, ait, si oppidum aliquod curialis non haberet tantos?*

In iis quae XXI 7, 3 sic in libris leguntur: *hunc enim obsequio celeri cuncta consideratione gemina efficere sperabat, quod adversam partem metueret offensam et properabat nanctus hanc oportunitatem commendari Constantio, quem credebat procul dubio fore victorem,* offendit temporis ratio male neglecta. Idcirco enim sperabat Constantius Gaudentium cuncta celeriter executurum, quod hac occasione tunc demum oblata propere usurus esset ut se operamque suam imperatori commendaret. Itaque corrigendum est: *quod adversam partem metueret offensam et* PROPERABIT .... *commendari Constantio.* Cf. XIV 11, 11 ubi nunc ex certissima Muelleri emendatione legendum est: *replicando quod .... eum videre frater cuperet patruelis ,... participemque eum suae maiestatis adsciscet.*

Graviter corrupta sunt quae XXIII 5, 2 in libro optimo sic feruntur:

Quod Diocletianus exiguum antehoc et susceptum miris turribusque circumdedit celsis, cum in ipsis barbarorum confiniis interiores limites ordinaret edocumento per Syriam Persae ita ut paucis ante annis cum magnis provinciarum contigerat damnis. Atque initium iam primi editores ad sanitatem revocarunt scribentes *antehac et suspectum muris;* quod autem pro *edocumento* vulgo editur *ne vagarentur*, quamvis sententiae satisfaciat, nimis a librorum scriptura recedit: facilius est emendare NE DISCURRERENT .... *Persae.*

XXIII 5, 9 legitur: *quo omine velut certiore iam spectaculi (spectatos* Vat.) *prosperioris elatus exultantius incedebat, sed incerto fatu fortunae aliorsum prorupit eventus,* Atque priora fortasse sic emendanda sunt: *certiore iam* SPE ELATVS PROSPERIORVM *[elatus];* cf. XXIV 1, 12 *certiore iam spe provectus* XVI 4, 4 *adfusa laetiore spe prosperorum.* Nam corruptela inde orta esse potest, quod ut saepe factum est, mendum a correctore remotum tamen in verborum serie una cum correctione remansit. Pro fatu vero fortunae, quod me non intellegere fateor, nescio an Ammianus pervulgata usus imagine scripserit: *incerto* FLATV *Fortunae aliorsum prorupit eventus.*

Ibidem in paragrapho 17 scribo: *Nec erravere diu manes eius inulti, quod velut* LIBRANTE *iustitia omnes qui in eius* <NECEM> *conspiravere cruciabilibus interiere suppliciis.* Vaticanus exhibet *elabrente.*

XXVI 6, 20 scripsit Ammianus: *Sic Adramyttenus Andriscus de genere quidam infi-*

mae sortis adusque Pseudophilippi nomen EVECTVS *(erectus* Vat.) *bellis Macedonicis tertium addidit grave.* Eodem enim vocabulo in loco plane gemello usus est XIV 11, 31 *haec* (Fortuna) *Adramyttenum Andriscum in fullonio natum ad Pseudophilippi nomen evexit.*

Item XXVII 1, 5 solitum Ammiano vocabulum restituendum est: *ipse denique Charietto dum cedentes obiectu corporis et vocis* OBIVRGATORIO *(iurgatorio* Vat.) *sonu audentius retinet.* Cf. XV 7, 4. XVI 12, 55. XX 8, 18. XXX 6, 3.

XXVII 2, 5 haec vulgantur: *(Iovinus) — vallo opportune metato suisque pro temporis copia cibo recreatis et somno, primo aurorae exortu in aperta planitie composuit aciem dilatatam arte sollerti, ut spatiis amplioribus occupatis aequiperare Romani hostium multitudinem adparerent, inferiores numero licet viribus pares. signo itaque per bucinas dato, cum pede conlato res agi coepisset, sueta (et sueta* Vaticanus) *vexillorum splendentium facie territi stetere Germani.* In quibus id male me habet quod *sueta* vexillorum facie Germani territi stetisse dicuntur, quos artificio potius aciei praeter spem ita dilatatae ut Romani numero superiores viderentur paullisper commotos fuisse suspicari licet. Itaque *et* quod ante *sueta* liber optimus exhibet minime neglegendum ut gravioris vitii indicium, cui fortasse sic mederi possumus, ut EXSVLTANTER *vexillorum splendentium facie* reponamus. Cf. XXIII 5, 8 *exsultantius incedebat.*

XXVIII 1, 33 inepta sunt quae vulgo sic eduntur: *hisque (litteris) recitatis ita homo ferus exarsit, ut machinas omnes in Aginatium deinde commoveret, velut serpens vulnere noti cuiusdam adtritus.* Expressit Ammianus notissimos illos Vergilii versus Aen. V 273 sqq.

Qualis saepe viae deprensus in aggere serpens
Aerea quem obliquum rota transiit: —
Nequidquam longos fugiens dat corpore tortus
Parte ferox, ardensque oculis et sibila colla
Arduus attollens.

Itaque scribimus: *velut serpens vulnere* ROTAE *cuiusdam adtritus.*

XXVIII 4, 16 ita emendanda sunt: *Ita autem pauci sunt inter eos severi vindices delictorum, ut servus .... si hominem sponte occiderit propria, instantibus plurimis ut damnetur,* IRATVS *dominus hactenus* EXCLAMET: *'quid faciat ma .... mosus et nequam.'* In Vaticano scriptum est *iremus* et *exclamat.* Atque partem emendationis praeivit Muellerus qui recte coniunctivum restituit; displicet vero *serenus* quem sibi finxit *dominus.* Ultima verba nondum sanata videntur, siquidem Gelenii *maniosus* quamvis ingeniose excogitatum hiatum non explet.

XXIX 6, 19 facili mutatione ita scribendum est: *Inter quae porticum excitavit ingentem lavacro Agrippae contiguam, Eventus boni cognominatam, ea re quod huius* NVMINIS *(nominis* Vat.) *prope visitur templum.*

XXX 5, 12 Vaticani libri scriptura ita corrigenda: *Alio quoque in eum perniciose composito, quod petenti per iocum* CVIDAM *Nigrino, ut eum notarium faceret, exclamavit ille hominem ridens ,fac me imperatorem, si id volueris impetrare'.* Codex enim exhibet *quidam.*

XXXI 3, 7 scribo: *Eumque stupentem ad impetum primum, amissis quibusdam suorum, coegerunt ad* SVFFVGIA *properare montium praeruptorum.* Vulgo editur *effugia*, sed

verum monstrat XVII 12, 29 ***alios periculi declinatio adegit suffugia petere latebrarum palustrium.***

Non dum satis certa emendatio reperta est XXXI 7, 3 ***Hi numeri*** — legiones ex Armenia adductae ut Gothorum Thraciam depopulantium latrocinia reprimerent — ***nondum experti, quid cum desperatione rabies valeret indomita, truso hoste ultra Haemi montis abscisos scopulos, faucibus insedere praeruptis u t i n b a r b a r o s i n b a r b a r o s l o c i s e t i n s o l i s n u n q u a m repperientes exitum diuturna consumeret fames et opperirentur ipsi Frigeridum ducem cum Pannonicis et transalpinis auxiliis adventantem.*** Quod vulgo ex Valesii coniectura editur ***ubi barbaros locis inclusos nusquam*** non satis facit; Ammianum scripsisse existimo: ***ut barbaros in locis*** <DESERTIS> ***et*** SOLIS ***nusquam repperientes exitum diuturna consumeret fames.***
